

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Christi leprosum tactu sanantis potentia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

270 Cap. XXIV. Decima morb. cauff. gloria Dei ex potētia & c. elacens.

referendæ, vt quæ tam diuturno decem annorum morbo fuerit liberata. Nam hæc diuturnitas ipsa miraculi magnitudinem declarat; sicut cùm Lazarus quatriduanus fuit suscitatus; & altera illa mulier, quæ spiritum infirmitatis annos duo deuiginti habuit; ac Paralyticus, qui triginta octo annos in infirmitate perdurauit, sanitatem recuperata, præstantiam medici, morbos tam inueteratos, & ab alijs desperatos sanantis demonstrauit.

VII.

4 Reg. 5. 1.

Matth. 8. 2.

S. Chrysost.
hom. 26.

Iustin. in ex-
posit. Fidei;
Tertullian.
lib. 4. contr.
Marcion.
Athanas. in
lib. de com-
muni. effent.
P. & F. & Sp.
Sanct.

Lepra quæ tenax sit, experiuntur, quos ea tenet; quæ altas radices in corpore humano agat, sciant medici, nōrunt magistratus, qui leprosos ex urbibus excludunt, ne, cùm ipsi sanari non possint, alios quoque contaminent. Testantur varie historiæ, quæc sunt sumptus fructu facti, in lepra curationem. Sufficit Naaman Syrus, manu strenuus, clarus militia, dignitate illustris, & diuitijs plenus, vno verbo, *vir magnus apud dominum suum, & honoratus, vir fortis & dives, sed leprosus*. Hic utique nihil omisit eorum, quæ ad sanitatem exigebantur. Nullus tamen Aesculapius inuentus est, qui eum curare posset, præter Elisëum, cuius vel hinc sanctitas enuit, quia eum prodigijs sanauit. Taliū prodigiorum occasio fuerunt etiam leprosi à Christo sanati, nec iam ad Iordanis balnum missi, sed vel unico verbo sanati. Quod eum posse vel ipsi sanandi crediderant. *Ecce leprosus veniens, adorabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Non dixit, si Patrem oraueris; sed, si vis; significans aqualem ipsum cum Patre habere potestatem*, vt S. Chrysostomus obseruavit. *Et extendens Iesu manus tetigit eum, dicens, Volo, Mundare. Et confessim mundata est lepra eius.* Naaman septies in Iordanē debuit lauari: hunc Christus tetigit, & sanauit. Quo loco Cyrillus Alexandrinus docet, idcirco Dominum contactu carnis suæ aliquos ægrotos curare voluisse, vt ostenderet etiam carnem suam, ob conjunctionem cum diuinitate vim salutiferam & viuificam habere. Diuinitatem certè Christi veteres Scriptores ex hoc loco probauerunt, quia, vt Iustinus, Tertullianus, & Athanasius scribunt, quasi propria, non aliena usus potestate volendo imperandoque hunc leprorum curauit. Immò diuinitatem & humanitatem simul probauit Cyrillus & Ambrosius, cuius hæc verba sunt: *Volo ergo, dicit, propter Photinum; imperat, propter Arium;*
sangit propter Manicheum. Quod